



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm**

**Dript, Laurentius a**

**Nevhsii, 1673**

Caput Decimum Quartum. Encomium Marianum Decimum Septimum.  
Virgo Potens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43641**

CAPUT DECIMUM QUARTUM.  
*Encomium Marianum Decimum  
 Septimum.*

VIRGO POTENS.

**S**ummum illud sapientię oraculum, cui nec similem anteriora nec posteriora videbunt post tot heroũ descriptã fortitudinem ad mulieres tandem deveniens: *Mulierem inquit fortem quis inveniet? Ac si manifeste dicat? vix quidquam rarius mihi videtur quã mulier fortis: mulieri siquidẽ fortitudo naturaliter ob suam imbecillitatem contraria est. Hinc & paulo post procul inquit & de ultimis snibus pretium eius. Possset quis tam sedulo mulieris fortis inquisitori opponere plures fœminas, quas ob suam fortitudinem S. extollit historia: An non mulier fortis Hebraea illa *Juditha* cui ipsi etiam hostes acclamarunt: *Vna mulier Hebraea fecit confusionem in domo Nabuchodonosor Regis? Quæ ipsum belli ducem *Holofernem* aggredi non dubitavit & proprio gladio ejus caput à cervicibus abscidit**

scidit? canitq; de ipsa Ecclesia in officio immaculatæ Conceptionis *O mulier fortis & invicta Iudith.* An non fortis mulier *Deborah* Jud. 4. quæ non absimili stratagemate *Label* belli Ducem stravit & somnum temporalem æterno copulare coëgit? An non fortis imo fortissima mulier illa *Machabæa* septem fratrum Machabæorum Mart. & mater & Martyr, de qua non immerito insignis hujus ævi scriptor:

*Muliebris hæc statua, constantia imago est  
De nomine nihil certum; miracula nomen non  
habent*

*At qui miraculum: est constans fœmina  
Et narratâ gloriosâ filiorum victoriâ,*

*Quæris num fleverit Mater?*

*Non plus quàm lapis.*

*Suas lachrymas alienis in oculis ridet,*

*Speçtat suos Heroas, speçtata Herois:*

*Seipsam in singulis miratur,*

*Et singulos tuetur, dum intuetur.*

*Afræ volucris similis, quæ alumnos obtutu firmat*

*Sic uno die septies Mater, & Martyr,*

*Post septena filiorum funera exarsit.*

*Et planetarum numero addidit firmamentum.*

An non hæ matronæ mulieres fortes?  
 sed aliam longe fortiorem, & potentio-  
 rem quærebat hic sapientissimus Princeps illã  
 de qua canit Ecclesia *Virgo Potens*: Et qui-  
 dem hanc ipsam esse quam *Salomon* requi-  
 rebat mellifluus *Bernardus*, non uno sed di-  
 versis in locis asseverat: Et primo serm. 2.  
 sup. Miss. *Quam vero ait aliam Salomon re-*  
*quirebat cum dicebat mulierem fortem quis in-*  
*veniet? noverat quippe vir sapiens hujus sexus*  
*infirmi- tatem fragile corpus, lubricam mentem:*  
*quia tamen & Deum legerat promississe, & ita*  
*videbat congruere, ut qui vicerat per feminã*  
*vinceretur per ipsam: vehementer admirans*  
*ajebat: Mulierem fortem quis inveniet? quod*  
*est dicere: si ita de manu fœminæ pendet, & no-*  
*stra omnium salus & innocentia restitutio, &*  
*de hoste victoria: fortis omnino necesse est, ut*  
*provideatur quæ ad tantum opus possit esse i-*  
*donea. Sed mulierem fortem quis inveniet? At*  
*ne hoc quesuisse putetur desperando, subdit pro-*  
*phetando: Procul & de ultimis finibus pretium*  
*ejus, hoc est non vile, non parvum, non medio-*  
*cre, non denique de terra, sed de cælo, nec de cæ-*  
*lo proximo terris pretium fortis hujus mulie-*  
*ris, sed à summo cælo egressio ejus. Eadem re-*  
 petit

petit *serm.* secundo grali *Mirabatur* ait olim & Salomon, & velut desperanti similis agebat, mulierem fortem quis inveniet? Eodem sensu, eadem verba interpretatur Dionys. Carthus. Salomon ergo inquit desuper copiose illuminatus, sciens mundi salutem ex filij Dei incarnatione pendere nec decens esse unigenitum Dei incarnari nisi ex mundissima ac virtuosissima muliere, immò & virgine affectuosa admirante gratulabundaq; mente locutus est: Mulierem fortem quis inveniet? quasi dicat, O utinam talis nascatur ac veniat. O quis eam reperiet & videbit qua utiq; nisi à Deo mittatur, & talis ac tanta per specialissima gratiarum Charismata efficiatur, numquid poterit esse, aut inveniri quum tanta sit foeminarum infirmitas naturalis. Procul & de ultimis finibus pretium ejus: idest tanta est dignitas ac pretiositas foeminae ac virginis hujus, quod in mundo isto inferiori ei nil poterit comparari, si ve equari, sed angelicae dignitati aequatur, immò & ineffabiliter antefertur.

## §. I.

**T**Anto major alicujus fortitudo & potentia, quanto major fortiorque est is quem prostermit: jam verò fortissimos quos

quosque B. hæc Virgo superavit. Magna fortitudo *Davidis*, qui adhuc adolescens vrsū, & leonem oves invadentem interfecit, & *Goliathum* Phylisteum gigantem funda & lapide dejecit, proprioque gladio illi caput amputavit I. Reg. II. 4. v. 34. & 51. Magna item fortitudo *Samsonis* qui Asini mandibula mille viros prostravit, & moriens plus quam mille viros interemit Jud. 15. & 16. Magna deniq; fortitudo *Gedeonis* aliorumque quamplurimorum quorum in sacris litteris fit mentio. At incomparabiliter major potentia & fortitudo virginis gloriosissimæ: quæ non hominem aut Belluas, sed tres potentissimos qui alias semper triumphare solent, & teste *Alberto Magn.* Deum omnis fortitudinis principium & originem superavit, juxta quod ipse fateatur in Can. 4. *Vulnerasti inquiens cor meum soror mea sponsa in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui: & alibi Cant. 6. Averte oculos tuos à me quia ipsi me a volare fecerunt: superavit item principem tenebrarum, cujus tanta est fortitudo, ut teste Job. 41. Non sit potestas super terram quæ ei comparari valeat: juxta quod dictum est illi Gen. 3. v. 15.*

*ipsa*

*ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius.* Denique & mortem, cui nemo mortalium resistere potest quæ per peccatum intravit in mundum, & ita in omnes homines pertransijt: ad Rom. 5. v. 12. superavit: dum per eam vita redijt.

De *Jacob* Patriarcha S. Geneseos narrat historia quod rediturus ex *Mesopotamia* ad terram *Chanaan* Patriam suam, transductisque omnibus quæ ad se pertinebant manserit solus: *Et ecce vir luctabatur cum eo usq; mane.* Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus qui statim emarcuit: Dixitq; ad eum, dimitte me jam enim ascendit aurora. Responditq; *Jacob:* Non dimittam te nisi benedixeris mihi: Aitq; *Angelus ad eum.* Quod est nomen tibi respondit, *Jacob:* at ille nequaquam *Jacob* appellabitur nomen tuum sed *Israël.* Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? Gen. 32. Insigne specimen illius belli quod intercessit inter gloriosissimam virginem & Deum ipsum, cui non immerito & nos applaudamus dicentes, quoniam si contra Deum fortis fuisti, si vicisti invincibilem, ligasti omnipotentem: quanto  
magis

magis contra alios hostes tuos prævalebis: sed jam videamus qualiter, quove armorum genere potentissima hæc Virgo Deum superarit.

## §. 2.

**D**E Rhinocerote inter omnia animalia fortissimo post Leonem; referunt naturalistæ, quod tantæ existat fortitudinis ut nullas vires hominum, aut animalium reformidet: tantæque in cursu velocitatis ut impossibile sit ipsum à cursu remorari unicum est quo ejus ferociam quis domare & eum à cursu sistere potest, nimirum si pulcherrimam adolescentulamque virginem ei in occursum mittat: illius enim intuitu ferociam mox ponit, à cursu velocissimo se cohibet, caputque suum virginis sinui imponens, se capi ligarique permittit: Deus opt. max. terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia: insuperabilis prorsus erat ante incarnationem ut non immerito eum Rhinoceroti *Iobus* cap. 39. compararit *Numquid volet* inquit *Rhinoceros servire tibi aut morabitur ad præsepe tuum?* Tantæ erat fortitudinis, ut fortissimi robore hunc Rhinocerotem à cursu sistere aut ferociã domare



domare nequierint: fortissimi erant Patriarchæ & Prophetæ veteris testamenti, nec ramen quisquam huic Rhinoceroti appropinquare ausus fuit, multò minus eum capere potuerunt. Tandem ecce pulcherrima Virgo hunc à cursu remoratur, carne humana cooperit, tantumq; ejus ferociam placat ac mitigat, ut à quovis etiam potuerit capi, ligari & irretiri. Audite S. *Thomam à Villa nova serm. 4. de Nat. Domini: Quid ait filio Dei similis quam filius unicornium? Captus est ipse amore virginis & majestatis oblitus carnis vinculis irretitus: unde in Cant. quasi capturam suam prævidens ex amore ad virginem clamat: Averte oculos tuos à me quia ipsi me a volare fecerunt.*

S. 3.

**A**D potentiam hujus victoriosissimæ Virginis amplius declarandam inferuit fabula quam in *Iliade* refert *Homer*. Nimirum summum Deorū *Jovem* in universū genus humanum vice quadam propter innumerabilia flagitia & scelera, ita indignatum fuisse, ut non amplius in terram descendere nec hominum misereri, sed in cœlo manere, amœnissimaque cœli prata  
per-

perambulare decreverit. Commoti alij  
 Dij super hoc, maximamq; hominum mi-  
 seriam prospicientes unanimiter eum, ut  
 ad terram descendere hominibusq; com-  
 pati dignaretur rogarunt. Annuit votis ac  
 precibus Deorum *Iupiter* & se in terram  
 descensurum promisit, hac conditione: si  
 eum aurea catena ad hoc fabricata in ter-  
 ram pertrahere valerent: Conditionem  
 acceptarunt alij & qua poterant virtute  
 eum è caelis trahere conabantur, sed fru-  
 stra: nullus ex omnibus tantæ inventus est  
 fortitudinis qui eum è caelo ad terram per-  
 trahere posset, tandem advenit Dea *Venus*  
 quæ tanta vi attraxit catenam, ut *Iupiter* in  
 terram descendere coactus fuerit, simulq;  
 mandarit, ut *Venus* non amplius imbecillis,  
 sed robusta & generosa post hæc appella-  
 retur. Fabulas mittamus: in gravissimam o-  
 lim accensus erat iram in universum genus  
 humanum unigenitus Dei filius, seipso test.  
*Zach. 15. Ira magna ego irascor super gentes, &*  
*sagittas meas complebo in eis: Et Psal. 105. Ira-*  
*tus est furore Dominus in populum suum, & ab-*  
*ominatus est hereditatem suam. Et caeli amœ-*  
 nissima prata perambulans renuebat veni-  
 re in

re in terram, gratijsque & donis suis hominum necessitatibus subvenire. Quid agerent Patriarchæ & Prophetæ de quibus dictum est Ps. 81. *Ego dixi Dij estis & filij excelsi omnes?* Miserti totius generis humani calamitatibus, nil aliud agebant, quam noctè dieque gemitibus incessabilibus Deum exorare: hoc unum enixissime postulantes, ut ad salvandum genus humanum è cœlis ad terram descendere dignaretur: Hinc frequentissima illa suspiria, ac preces jaculatoriæ. *Esai. 64. Utinam dirumperes celos & descenderes: Veni Domine & noli tardare relaxa facinora plebi tuæ: Ostende faciem tuam & salvi erimus. Domine inclina cœlos tuos & descende.* Et denique *Moyse: obsecro Domine mitte quem missurus es.* Flectebatur quidem tot dilectorum suorum precibus, nec tamen ad terram descendere consensit, nisi hac conditione pacta, ut aureâ itidē catenâ eum de cœlo attraherent: Traxerunt ergo quotquot tum temporis vixerunt: Traxit *Abraham*, traxit *Iacob*, *David*, alijq; innumeri qui licet essent fortissimi, nec tamen tanta eorum fuit fortitudo, ut ad terram eum trahere possent: *Defuncti enim sunt*

*sunt*

*sunt omnes isti teste Apost. Hebr. II. non accep-  
tis repromissionibus. Accessit tandem fortis  
illa mulier, dudum à Salomone quæfita, vir-  
go potens, & Deipara, tantaque vi catenam  
traxit ferventissimis suis desiderijs, ut eum  
ad terram descendere coëgerit, post hæc te-  
ste Propheta Baruch, cap. 3. in terris visus est  
& cum hominibus conversatus est.*

## §. 3.

**S**Acra Regum narrat historia lib. 2. cap.  
2. ad mandatum *Abner & Ioab* princi-  
pum militiæ exercituum *Saulis & Davidis*,  
egressos duodecim juvenes ab utraq; par-  
te ad certandum, & apprehenderunt quisq;  
caput proximi sui & defixit gladiū in latus pro-  
ximi sui, cecideruntq; pariter vocatusque locus  
ille est *ager robustorum*. Non longe absimile  
bellum fuit (si id moraliter intelligere  
liceat) inter Deum ac Bñam matrem ejus  
de eoque prædictum videtur à Propheta  
*Hierem. 46. fortis impegit in fortem & ambo  
pariter ceciderunt*: Nimirum fortis & potens  
Virgo impegit in fortissimum Deum, am-  
boque pariter ceciderunt: illa, per humili-  
tatem se infra omnes creaturas humiliando,  
& dimittendo, inquit *Ecce ancilla Do-  
mini*

*mini fiat mihi secundum verbum tuum* : Hic verò per incarnationem, à summo cælo egrediendo, & vilissimo carnis indumento se cooperiendo: præclaram hujus victoriæ figurâ exhibet nobis *lib. Judith cap. ultimo*, quo mirum aliquod de victoriosa hac vidua refertur: canticum siquidem regratiatorium pro obtenta victoria Deo concinens inter cætera ait: *Jud. 16. Sandalia ejus rapuerunt oculos Holofernis. Mirũ & summe mirum. Comparuerat castissima hæc vidua coram Principe Holoferne, omni genere exquisitorum ornamentorum ornata: Laverat corpus suum, mirrha optima unxerat se, crines capitis suis discriminarat: nihilque ei deerat quod ad ornandam eam, conducere posset, & tamen nihil horum est quod Ducem Holofernem in ejus accendit amorem, sola sandalia rapuerunt oculos ejus. Quid hoc rei? Non vides magne Assyriorum princeps radiantes hujus pulcherrimæ viduæ oculos, qui etiam pectoribus & animis omni calore destitutis amoris sagittas infigere possent? non vides comam capitis pulcherrime discriminatam, caput mitra præstantissima decoratum? genas*

T

san-

fanguinolento formosae colore? labia purpurea? non intueris collum monilibus exornatum, denique præstantissimum corporis istud ebur? sed non attendit ad ista *Holofernes* tantum enim pulchritudinis erat in pedibus, ut cæterorum omnium obliviscens, & ea quasi cæcus pertransiens, in solos pedes defigat aspectum: *sandalia sola rapuerunt oculos ejus*. Revera magna pulchritudo & artificium hisce calceis inesse debuit, quæ hominis oculos rapiant. Summe quidem hoc, sed longe amplius mirandum quod cælestis sponsus Spiritus sanctus, in amorem suæ sponsæ pulcherrimæ exarsit, idque non alio modo quam *Holofernes* in amorem *Judithæ*: ex intuitu scilicet calceamentorum & ingressus ejus: Cant. 7. *Quam pulchri inquit sunt gressus tui in calceamentis filia principis*. Innumerabilia erant hujus divinæ sponsæ virginis gloriosæ ornamenta, non qualia *Judithæ*, sed quæ eidem innata erant, & tamen illa præteriens sponsus cælestis à pedibus exorditur, pedibus qui sunt infimæ corporis partes terram tangentes, & omnibus sordibus patentes. An non convenientius à capite incepisset uti spon-

sa in

sa in descriptione ipsius processerat, *Caput* inquit *illius aurum optimum?* sed non sine causa à pedibus oritur encomia sponsæ suæ sponsus cælestis, profundissimum hic latet mysterium. Sciebat enim hanc esse illam quæ profundissima humilitate sua pestiferum serpentis caput, superbiamque ejus contritura erat: Quid enim per gressus & pedes qui sunt infimæ corporis partes aliud quam profundissima hujus virginis humilitas designabatur; Quemadmodum enim per cætera membra corporis virginis tropologice & mysticæ ejus virtutes designantur, sic & per pedes qui fundamentum sunt & basis quibus totum corpus sustentatur, humilitas quæ est basis & fundamentum omnium virtutum B. hujus Virginis intelligitur. Et hæc virtus est quæ oculis sponsi in tantum placuit, ut omnes sponsæ virtutes descripturus ab ea sumat exordium: hæc sunt *sandalia veræ Judith quæ rapuerunt oculos* non Principis & Ducis Assyriorum sed Regis Regum, Domini Dominantium & principis pacis.

§. 5.

**A**pprime proposito nostro quadrat quod de pulcherrima totius Ægypti *Rodope* narrat *Aelianus*, nimirum cum die quadam juxta aquas Nili ut ad solem ripsana sua exficcaret nudis pedib<sup>9</sup> staret: quod adveniens aquila quædã post diurnam circumvolitationem rapuerit unum de calceis ejus ( quem mira confectum arte & pulchritudine ancillarum suarum custodia demandarat ) eundemque in *Memphim* deferens, Regis qui jam in solio justitiam administraturus confederat, immiserit sinui. Miratus Rex insignem calcei pulchritudinem, simulque avis factum contemplans, mox eam cujus hic calceus erat inquire faciens, ac tandem inventam *Rhodopen*, sibi matrimoniali thoro sociavit. Cedant vana sacris: Spiritus sanctus non Rex solum, sed & Deus universorum à sæculis & ab æterno *MARIAM* in sponsam elegisse omnibus notum est. Sed quæ causa fuit quod hanc virginem præ cæteris elegit? causam audite. Non alia fuit quam pulchritudo calceamentorum ejus, ut merito repetam *sandalia Judith*, *sandalia MARIÆ*

*rapue-*



*rapuerunt oculos Spiritus sancti.* Circuiens  
 siquidem mundissimus hic spiritus univer-  
 sam terram, nullam inter omnes mulieres  
 à sorde mundam reperit, siquidem (*nullus  
 mundus à sorde nec infans cujus est vita in u-  
 nius diei super terram*) nisi beatissimam hanc  
 Virginem: omnium etenim mulierum pe-  
 des immundos, & peccato infectos reperi-  
 ebat. Tanta erga hujus virginis calceamen-  
 ti captus pulchritudine, non distulit quin  
 eam sibi thoro sociaret, sponsam eligeret,  
 regnique diademate redimiret. Hæc sunt  
*sandalia quæ abstulerunt cor & robur filij Dei:*  
 Testatur hoc ipsum ipsamet in Cant. Can-  
 tic. *Dum esset inquit Rex in accubitu suo nar-  
 dus mea dedit odorem suum.* Quem locum  
 perpendens *Rupertus:* ait accubitum patris  
 esse sinum patris, in quo ab æterno requie-  
 vit unigenitus Dei filius, juxta verba Evan-  
 gel. *Ioannis, unigenitus filius qui est in sinu pa-  
 tris.* Et per herbam nardi intelligi virtu-  
 tem humilitatis: dicens ergo *Beatissima  
 mater: Dum esset Rex in accubitu suo nardus  
 mea dedit odorem suum:* idem est ac si dice-  
 ret ab illo tempore, imo ab æterno cum in  
 sinu æterni patris sponsus cælestis eslet,

percepit humilitatis meæ odorem suavif-  
 simum, qui tantum illi placuit ut illius ille-  
 ctus odore in hanc lachrymarum vallem  
 descenderit & ex meis sacris visceribus car-  
 ne se vestiret. verba *Ruperti* sunt: *Rex in ac-  
 cubitu suo verbum est in sinu Patris, & dum ita  
 esset, nardus humilitatis MARIÆ dedit odo-  
 rem suum, cujus odore delectatus descendit in  
 uterum suum.*

### CAPUT DECIMUM QUINTUM.

*Encomium Marianum Decimum  
 Octavum.*

### VIRGO CLEMENS.

**Q**uemadmodum docent unanimiter  
 cum Doct. Angelico omnes Theo-  
 logi in Tract. de Incarnat. Christus Domi-  
 nus habuit omnes virtutes infusas ab in-  
 stanti incarnationis, illis solum exceptis  
 quæ imperfectionem ex natura sua impor-  
 tant, quales sunt fides, spes, poenitentia, &c.  
 Cum fides importet obscuritatem, spes ab-  
 sentiam boni, concupiti, poenitentia autē  
 præsupponat peccatum, quod in Christo

locum